



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Meditationes De Amore Spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

COLLOQ. Quibus petamus fiduciam illam, & reciprocum amorem erga Christum.

RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

SEQUUNTUR

MEDITATIONES

DE

Amore Spirituali.

MEDITATIO XXXV.

Ad Amorem Spiritualem in nobis excitandum.

Myft. punct. 1.

CONG. Desiderium Deo rependendi reciprocum amorem.

PRÆL. I. *Ut coram Domino, Angelis; Sanctisque omnibus mihi propitiis stare me videam.*

PRÆL. II. *Ut gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum ejus, in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum, & servitium ipsius, totum me impendam.*

PUN.

**PUNCTUM I. BENEFICIUM CREATIONIS. MEM. *Crea-
vit Deus Cælum, & Terram. Gen. 1.***

INTEL. Perpendamus, quanta, quàm varia, quàm pulchra, quàm benè ordinata in Cælo, & in Terrâ benignissimus Dominus mei amore egerit; quomodo sex dierum spatio in opere illo quasi laboraverit. Quomodo res tot, & tam utiles ac comòdas mihi donaverit; quodque si eisdem benè utar, ipse cum omnibus illis seipsum, mihi æternùm donare velit. **REFL.** Consideremus, quid æquum sit nos tali benefactori reddere, & pro ipso agere.

VOL. *Suscipe Domine universam libertatem meam, &c.*

**PUNCTUM II. BENEFICIUM REDEMPTIONIS. MEM. *Dedit Redemptionem semetipsum pro omni-
bus. 1. Tim. 2.***

INTEL. Consideremus quid in hoc beneficio Deus egerit, quando *Homo factus est*, Joan. 1. Quid dederit: *Panis enim Dei est, qui de Cælo descendit, & dat vitam mundo*, Joan. 6. per Eucharistiam, & omnia bona supernaturalia Sacramentis annexa; & præterea, seipsum nobis non tantùm dat in Eucharistia; sed perpetuò nobis vult esse unitus: *Nam est pignus hereditatis nostræ*; Ephes. 1. Quanta vero perpeffus sit pro nobis, tota vita ejus, & mors demonstrant. **REFL.** Disquiramus, quæ nostræ sint partes, ut tanto in nos amori respondeamus.

VOL. *Suscipe Domine universam libertatem, &c.*
Sed nò sumus contenti oblatione tali, nisi accedat
ardens

ardens desiderium patiendi ex amore erga Christum, expressum verbis tertii gradus humilitatis.

PUNCTUM III. BENEFICIA PARTICULARIA. MEM.
Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Jacob. i.

INTEL. Revocemus in memoriam, dona omnium Corporis, tum Animæ; tum exteriora, eaque vel naturalia, vel supernaturalia, quæ nobis præ innumeris aliis, qui iis carent, data sunt. Non obliviscamur verò doni vocationis ad Societatem. Ratiocinemur, quantum benignissimus Dominus nostrâ causâ egerit; quantâ cum patientiâ, & longanimitate peccata nostra tulerit: quot inspirationes, & desideria ad cœlestem gloriam nobis infuderit. **REFL.** Concludemus esse *haud sanè dubium, quin mea omnia offerre debeam, ac me ipsum cum summo affectu, reciproci amoris.*

VOL. Iterum *suscipe Domine universam libertatem meam, &c.*

COLLOQ. Plena affectu amoris, cum perfecta resignatione, & oblatione ac restitutione omnium quæ accepimus.

RECOLLECTIO.

MEDI-

MEDITATIO XXXVI.

Ad Amorem Spiritualem in nobis excitandum.

Myft. punct. 2.

CONG. Eadem.

PRÆL. I. In Dei, & Sanctorum præsentia nos collocare.

PRÆL. II. Gratiam petere totos nos impendendi in amorem Dei, qui nos tantum amavit.

PUNCTUM I. DONA NATURALIA. MEM. Aspiciamus Deum in singulis existentem Creaturis, *Cælum, & Terram ego impleo, dicit Dominus. Jerem. 23.*

INTEL. Ratiocinemur illum non otiosè existere in singulis: *sed implet omne animal benedictione. Ps. 144. Et singulis distribuit sua dona. Elementis quidem... ut sint; plantis verò, ut per vegetationem quoque vivant; Animalibus insuper, ut sentiant; Hominiibus postremo, ut simul etiam intelligant.* REFL. Cum igitur Deus in nobis congregaverit quodammodo omnia ista dona naturalia, ita ut nihil in me sit, quod an ipso non acceperim, neque adeò quidquam, quod à me sit, ipse dare possim: cogitabo quid agere debeam, ut respondeam tanto amori.

VOL. O Deus! quia dare non possum, quod tuum non sit: *id totum tibi restituo, & tua prorsus voluntati trado gubernandum, &c.*

PUNCTUM II. DONA SUPERNATURALIA. MEM. *Meque Templum quoddam suum efficere voluit.*

IN-

INTEL. *Nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* 1. Cor. 3. REFL. *Appliquemus nobis, quod ibidem subjungit Apostolus: Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos.*

VOL. *Suscipe Domine, &c.* neque jam ex timore poenæ, o Deus! sed ut respondeam tanto amori, quem tot donis naturalibus, & supernaturalibus mihi communicatis demonstrasti conabor Templum illud, omni virtutum genere ornare.

PUNCTUM III IMAGO DEI, MEM. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* Gen. 1.

INTEL. Hæc imago, sive similitudo complectitur in se tum naturalia, tum supernaturalia dona, quibus Dei similes efficimur: de quo videri posset *Explicatio hic litt. F.* cumque amor consistat in mutuâ facultatum, rerum & operum communicatione, ex quâ hæc similitudo oritur, concludere possumus, quantus sit amor Dei in nos. REFL. *Cogitemus quæ sint nostræ partes in redamando.*

VOL. *Suscipe Domine, &c.* in super memor ero istius, de quo monemur Eccl. 17. *Secundum imaginem suam fecit illum ... ut magnalia enarret operum ejus, & conabor majorem gloriam tuam ubique promovere.*

COLLOQ. *Quibus petamus: Amorem tui solum cum gratiâ tua mihi dones, & dives sum satis, &c.*

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDI-

MEDITATIO XXXVII.

Ad Amorem Spiritualem in nobis excitandum. Myst. punct. 3.

CONG. Anhelare ad gratiam perfecti amoris in Deum.

PRÆ. I. Deum nobis præsentem, & propitium repræsentare.

PRÆ. II. Petere gratiam Deum amandi opere, & veritate.

PUNCTUM I. DEUS OPERANS. MEM. Considerare Deum propter me in Creaturis suis operantem. *Ut in Cælis, Elementis, Plantis, Frugibus, & Animantibus: quatenus dat, &c.*

INTEL. Meminerimus, quod amor ipse ab operibus magis, quam à verbis pendet. Atque hinc patet incredibilis Dei in nos amor, qui propter nos, in Cælo, & in Terra operatur tam multa, & tam grandia. REFL. Componamus opera nostra propter Deum facta, cum illis, quæ facit propter nos Deus: & videamus, quid æquum sit nos facere.

VOL. *Suscipe Domine, &c. Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate.* i. Joan. 3.

PUNCTUM II. DEUS LABORANS. MEM. Consideremus Deum, propter me in Creaturis suis... laborantem quodammodo: quatenus dat, &c.

INTEL. Quamvis Deus expers sit laboris, opera tamen, quæ facit, tanta sunt, ut sine labore ab eo, qui Deus non est, fieri non possent: ergo Deus juxta modum nostrum loquendi, laborat; sicuti in Scripturâ dicitur pœnitentiâ tangi, &c. & laborat propter me, hoc est, ex amore erga me. REFL. Sic

nos

nos vicissim ex amore erga ipsum, debemus laborare in Creaturis; nominatim in proximis nostris, ut omnes tendant ad laudem, & obsequium Dei.

VOL. *Suscipe Domine, &c.* Nolo ex amore erga te deinceps ulli labori parcere, donec, quantum potero, in omnibus hoc egero, *ut cognoscant, quia non est Deus, nisi tu, & enarrent magnalia tua.* Eccl. 36.

PUNCTUM III. DEUS DANS. MEM. Considerabo Deum sic propter me operantem, & laborantem in Creaturis: *quatenus dat ipsis conservatq; id, quod sunt, habent, possunt, atque agunt.*

INTEL. Ratiocinemur, juxta Philosophos, conservationem æquivalere primæ productioni. Igitur Deus quodammodo rebus omnibus, omni momento dat esse, vivere, sentire, & homini insuper intelligere, aliaque dona, vel naturalia, vel supernaturalia: & hæc omnia ex amore erga me.

REFL. Hinc concludam, quàm constanter, & sine quiete propter Deum agere, & laborare debeam.

VOL. *Suscipe Domine, &c.* *Os meum annuntiabit justitiam tuam, totâ die salutare tuum ... usque nunc pronuntiabo mirabilia tua: & usq; in senectam, & senium: Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est: potentiam tuam, & justitiam tuam, &c.* Psal. 70.

COLLOQ Petendo amorem Dei, cum gratiâ ipsius. *Amorem tui solum cum gratiâ tuâ mihi dones & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.*

RECOLLECTIO.

ME-